BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III


68
13 B
38

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 B
38

Digitized by Google

BVLLA CLEMENTIS Papæ VII.

CONTRA HOMICIDAS AC quoſcunq; alios capitali pęna damnatos, brigoſos, ius ſibi propria auctoritate dicentes, caualcatas facientes, pacis & tregue factores, eorũq; auxiliatores, fautores, complices, receptatores, & illos non capientes, cum ipſoꝝ pęnis & conſtitutionum Pii II. Sixti IIII. Iulii II. & Leonis X. prædeceſſorum ſuorum inſertione, innouatione, & approbatione, nouarumq; pęnarum adiectione, ac dictarum conſtitutionum extenſione, cum litteris etiam Reuerendiſſ. in Chriſto patris, & D. D. F. Armellini Medices tit. Sanctæ Marię in Tranſtiberim, & S. Caliſti presbyteri Cardinalis. S.D.N. & S.R.E. Camerarii dictæ Bullæ intimatoriis & publicatoriis.



Digitized by Google



LEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam Rei memoriam. In ſancta beati Petri ſedi. diuina diſponente clementia, meritis licet imparibus, conſtituti, conſiderantes quod licet deus, qui ex precipui amoris ſui dulcedine hominem ad imaginem ſuam creauit, in lege ueteri populo illi rudi & infirmo mandauerit proximum diligi, inimicum uero in odium haberi permiſerit: Tamen ſecundum Euangelicam doctrinam, quæ lege ueteri excellentior atq; perfectior eſt, precepit etiam inimicum diligi, & tranſgreſſorem huius legis ultionem expectare debere innuit, cum dixit, Qui gladio ferit, gladio peribit. Vt igitur lex ab omnibus ſeruetur, nec gladiorum impunitas à quoquam ſperari poſſit, & qui uirtutis amore nolunt, ſaltem formidine pene à uetitis abſtineant: ad officium noſtrum ſpectare duximus, illa que pro pace & quiete ciuitatum & terrarum, temporali dominio nobis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate uel immediate ſubiectarum, ac ciuium & incolarum in eis degentium, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificificibus ſtatuta & ordinata fuiſſe comperimus; ut eo maiorem obtineant firmitatem, quo ſepius fuerint Apoſtolico præſidio communita, noſtri præſidij munimine corroborare, ac etiam de nouo ſtatuere, & ampliare, prout rationabiles cauſæ perſuadent, & in domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem poſtquam per felicis recordationis Pium Papam II. prædeceſſorem noſtrum, accepto, quod à

Cõſtiutio Pij II· cõtra homicidas.

certis annis tunc elapſis citra, in terris, locis, & tenimentis dictæ Romanæ Eccleſiæ mediate uel immediate ſubiectis, quamplura etiam ex leuibus cauſis commiſſa eſſe reperiebantur homicidia: idem prædeceſſor attendens crimen huiuſmodi inter alia pernicioſum eſſe, & deteſtabile, & iuxta canonicas ſanctiones debere graui animaduerſione puniri, et tanto ſeuerius puniendum et extirpandum fore, quanto manifeſtius cognoſcebatur, quod eo ſcandala et plurima mala ſubſequebantur: ac cupiens quod eiuſdem eccleſiæ mediate uel immediate ſubiecti pacifici forent & modeſti, & terras ac loca prædicta Sicarijs expurgare: inter alia per ſuas litteras ſtatuerat, & decreuerat, quod omnes illi qui pro delicto huiuſmodi forent cōdemnati, ſeu alias de ciuitate aliqua ſeu diſtrictu ipſius banniti, non poſſent ad ciuitatem ſeu diſtrictum huiuſmodi quocunq; tempore, ſeu in eis uel eorum altero moram trahere, etiam habita pace ab heredibus et conſanguineis ſeu filijs ipſius occiſi: nec legatus etiam de latere, aut gubernator qui pro tempore foret, uel quiuis alius poſſet auctoritate apoſtolica, ſeu ex officio ſuæ legationis aliquem homicidam ſeu bannitum rebannire, & reducere, ſeu reuocare ad ciuitatem uel diſtrictum, aut eorum alterum, ſeu ei licentiam uel ſaluum conductum concedere, ſeu morandi in eis uel eorum altero in perpetuum, uel ad tempus modicum ſiue magnum, nec etiam ad diem unum, ſiue noctem. Quod ſi ſecus per quemcunq; ex prædictis factum foret, ipſo facto pœna excommunicationis, ſine ulterioris ſententia declarationis, à qua per alium quàm ſummum Pontificem, & tunc facta de hoc ſpeciali expreſſione, nō poſſet abſolui: ac licentia, reductio, reuocatio, ſaluus conductus, & caſſatio proceſſus, & banni huiuſmodi, eſſent ipſo iure nulla, nulliuſq; roboris uel momenti. Incideretq; etiam in pœnam ducatorū

Bāniti pro homicidia nō poſſunt reſtitui etiā habita pace.

Legatus de latere non pōt reſtituere bānitos ex cā homicidij.

Prohibetur fieri ſaluus conductus homicidis.

Pœna reſtituentis bannitum pro homicidio aut dātis ſibi ſaluū conductum.

mille auri Cameræ apoſtolicæ applicandorũ: quam Theſaurarius, cui hoc ſecrete uel publicæ foret relatũ et denũciatũ, retineri faceret, & mandaret, nullo ſuper hoc expectato ſeu requiſito ſuperioris mandato. Quod ſi nõ faceret, ipſe Theſaurarius, eadem ſententiã excõmunicationis ipſo facto, cum eiſdem qualitatibus incurreret: ipſeq; rebannitus, ſ reductus, ſiue quocunq; alio modo reuerſus, poſſet et deberet capi, detineri, & incarcerari: ac de ipſo, ſecundum ſententiã cõtra cũ latam, iuſtitia fieri per Gubernatorem poteſtatẽ uel alios Officiales ad quos ſpectaret & pertineret incontinẽti ſine ulteriori ſentẽtiæ notificatione, et requiſitione ſuperioris uel alterius, ſub pœna ducentorum ducatorũ auri Cameræ prædictæ apdlicandorum: quam Theſaurarius præfatus, ſimili modo ac forma ac ſub ſimilibus cenſuris faceret retineri. Et quod quæcũq; appellationes interpoſitæ uel interponẽdæ, ab hmõi uel alijs ſentẽtijs, ſiue grauaminibus contra homicidas latis, uel à proceſſu contra eos facto, et ſi lis uel inſtantia ſuper eis penderet, & inhibitiones, uigore ipſarũ emiſſe forẽt per Auditorẽ Cameræ, uel aliũ quẽcunq; ordinariũ uel delegatũ, eſſent nullæ, et inualidæ: nec ad ulteriora ſuper his et ipſarũ ruigore procedi poſſet, aut deberet. Quinimmo appellationes, lites, et cauſæ hmõi cenſerẽtur auocate, extinctæ, et inualidæ: nec poteſtates ſiue alij Officiales, quibus inhibitum foret, mandatis et inhibitionibus litiſpendentis, cẽſuris et pœnis in eis contentis aſtringerẽtur, Immo tenerentur et deberent ad executionem ſententiarũ latarũ procedere. Poſſet tñ in caſibus à iure uel ſtatuto permiſſis appellari ad Gubernatorẽ ciuitatis, ſeu prouinciæ: q infra mẽſem cãm diffinire teneretur. Quo elapſo, inhibitio et inſtantia ſuper eis eſſent nulle; et liberæ ſine impedimẽto poſſet fieri executio ſententiæ uel bãni, ac ſi non fuiſſet inhibitũ et appellatũ. Quopq;

Reſtituti ab alio q̃ à Papa capi poſſunt & pœna capitis puniri.

Prohibetur appellatio à ſententijs contra homicidas latis.

Permittitur appellatio ad Gubernatorem prouinciæ.

banniti

banniti, & condẽnati propter huiuſmodi crimen homicidij cenſerentur banniti ab omnibus locis circũuicinis uſq; ad miliaria qnquaginta, infra quę ſi reperti forent, poſſent, & deberẽt capitalis ſentẽtiæ, ſiue condẽnationis pecuniariæ executiones fieri contra eos, per poteſtates & alios officiales ciuitati, diſtrictui, & loco præſidentes, ſub pœnis pecuniarijs, ſimili forma incurrendis, Ita quod omnes et ſinguli homicide, quorum delictum notorium foret, uel de homicidio infamati ſeu condemnati, ẽt ſi de delicto huiuſmodi, & forma ſtatuti non poſſet inquiri, uel aliqua pœna imponi, uel etiam ſi ipſius delicti, uel pene pro eo impoſite, auctoritate apoſtolica uel alterius ab ea uel a Ro. Pontifice poteſtatem habente eſſet facta remiſſio, caſſatio, proceſſus, et ſententia annullata, uel alias qũolibet diſpenſatum, per uiam gratiæ uel iuſtitiæ remiſſionis: in toto uel in parte non poſſent habere officia uel dignitates in quibuſcũq; locis, ciuitatibus, & Terris, à quibus bãniti forent, & in quibus domicilium eorum originemq; haberent, ſeu alias moram traherent, uel reſiderent, ẽt ſi forent abſoluti, rebanniti, uel alias eorum ſentẽtia ſeu condẽnatio, ſiue proceſſus irritati, uel alias pro infectis habiti: ſed perpe eſſent infames, & omni officio et dignitate priuati, nec poſſent ferre teſtimonium, nec tabellionatus officium exercere, neq; admitterentur ad iudicandum, ſeu aliud officium exercendũ, & ab omnibus actibus legitimis eſſent perpetuo ſuſpenſi. Quinimmo ſi huiuſmodi officia acceptarent, exercerent, ſeu alias ad ea exercenda admiſſi forent: tam ipſi quã Gubernator, Legatus, aut ſuperior, qui eum eligere, uocare, aut ipſum officiũ exercere, ſeu ei præeſſe pateretur, pœnã quingentorum ducatorum auri ipſo facto incurrerẽt, & ſua Gubernatione priuarentur: nec geſta in iudicio uel extra iudicium, tam per eum qui admiſſus foret ad officium, quã per

Bannitis pro homicidio cẽſentur banniti uſq; ad quinquaginta miliaria.

Banniti ẽt reſtituti repelluntur ab officijs & dignitatibus infra ſcriptis.

eum illud exercere paſſus foret de cetero ualida eſſēt, et robur obtinerent, qnīmo eſſēt nullius roboris ue lmomēti. **Et** *ſi eccleſiaſticæ perſonæ forent, ſententiā excommunicationis ipſo facto incurrerēt, ſine ulteriori declaratione, a qua pœna non poſſent, præterquā a* **Ro.** *Pontifice, cū ſpeciali delicti, ſeu homicidij hmōi expreſſione abſolui: & theſaurarius* **Ca** *meræ, ſine ulteriori requiſitione ſeu notificatione, aut inhibitione, uel monitione, ſalarium eiſdem uel alteri debitum retinere deberet, ſi ab eo deberetur: ſi uero nō deberetur, poteſtati, Gubernatori, uel alteri, ad quē ſpectaret, ab eis uel eorum altero exigi & ſatisfieri, ſub eiſdē cenſuris in eisdem litteris quas idē prædeceſſor per oēs ciuitates eccleſiæ, publico preconio, publicari mādauerat.* **Et** *deinde cū in alma* **Vr** *be noſtra, inſtigante diabolo, peſtiferū, ac parniciosum malū creuiſſet, ut ſi qn̄ inter aliquos, ēt pro leuiſſima cā, quā brigā uocabāt, rixa foret exorta, in qua alter alterum percuſſiſſet, ſet, aut uulneraſſet: percuſſus aut uulneratus hmōi, offendētis patrē, fratrem, aut filium, ſeu alterum ex propinquis, iniuria expeteret, & plerūq; offenſionis ignarū, aut ob huiuſmodi exceſſus plurimū condolētē, horribili immanitate, et furioſa dementia, in uindicta ſuæ iniuriæ uulneraret & interdū occideret; aut aliquis propinquorū offenſi ad ultionē iniuriæ propinqui ſui, ut præmittitur, propinquū offendētis uulneraret, uel occideret, ſeu uulnerari uel occidi faceret. Inde quoq; iuxta dānabilē abuſū ciuitatis, utraq; pars ſe domibus priuatis includeret, quas in contemptū ſūmi* Pontificis *uidelicet* Principis, *ac ēt* Magiſtratuū *ciuitatis armatis complebāt, et interdū fores domorū ac porticus Steccatis communiebāt; ubi tanq; ad officinas, ac* **A**ſylum *ſcelerum, perditi homines & ſceleſti, ab utraq; parte conueniebant: illic inuida factio coniūgeretur attrociſſima ſceleris immanitate concordās;*

Cōtinuatio cōſtitutionis Clementis VII. hoc nō ē in bulla Leonis.

illic demẽtia;et furia eſſet uenalis iniuria,dũ ij qui nulla erãt iniuria laceſſiti,ad uindictã offenſorũ inſana mente,et ſenili crudelitate,coniurarent. Ii eſſent quorũ pedes ueloces erant ad effundendũ ſanguinem,qui uiã pacis nõ cognouerãt inter quos feda & obſcena cõmercia, alearũ luſus, pecuniarũ effuſio, patrimoniorũ diſſipatio, & obſceni agebãtur inceſtus : ex ijs oriretur Regentiũ rẽpublicam, et magiſtratuũ contẽptus,ac ſeditiones nõnunquã ſuſcitarẽtur. Et ſi qñ hmõi rixe et diſſenſiones interce derẽt,nõ solũ propinqui,atq; cõiuncti, ſed ẽt extranei,utriq; parti ſe offerrẽt,quod uulgo apud eos et materno uocabulo; fare di bene,nũcupabatur:ex quo pleſrũq; totius Ciuitatis ſtudia diuidebãtur, nõ ſine graui nota, et Regentiũ atq; reipublice diſcrimine:armarẽtur aduerſus proximos miſeri ſpiritu diaboli repleti; oẽ ius humane ſocietatis,oẽm charitatẽ,oẽm ciuilẽ concordiã,dãnabili abuſu, cõnerterẽt. Piæ me. Paulus PP II. ẽt prædeceſſor noſter,per ſuas litteras perpetuo ſtatuerat et ordinauerat,ut qcũq; extũc de inceps Baro;aui Domicellus,ac Ciuis Romanus, uel queuis alia eccleſiaſtica ſecularisq; perſona, cuiuſcũq; cõditionis & qualitatis exiſteret,quacunq; ẽt atroci iniuria laceſſita, pro ſua uel amici aut propinqui iniuria uindicãda,patrẽ aut filiũ, fratrẽ aut propinquã,uel alias amicũ,uel domeſticũ offendentie,uulnerare,mutilare,occidere,uel quocũq; mõ realiter, uel perſonaliter offendere præſumeret, aut talia fieri faceret, uel mãdaret: ſimiliter qui in urbe Roma,uel eius diſtrictu, occaſiõe rixe,uel Brige,domũ cõmunire, armatos receptare, aut tenere,uel adherẽtes et cõplices ac fautores brige accreſcere, ſeu quãcunq; conuentionẽ,congregationẽ,& collectã hominũ,ad ultionẽ iniuriæ inuocare,excitare,inuitare uel receptare præſumeret, per ſe uel aliũ; crimen leſe maieſtatis, rebellionis,ac ſeditionis in urbe concitate reus cẽſeretur, &

Facientes brigas eorumq; cõplices & ſequetes & fautores leſe maieſtatis crimẽ cõmittunt.

Pœnæ cõtra brigas facientes eorũq; cõplices fautores et ſequaces

haberetur, ac ueluti talis, a cõpetentibus iudicibus ſeueriſſime punirentur. Eccleſiaſtici uero talia perpetrantes omni dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio eſſent ipſo iure priuati, et perpetuo mãciparentur: ac beneficia eorum libere per illos ad quos collatio pertinebat eorũ cõferrentur. Oẽsq; præterea talia cõmittentes, tanq̃ Chriſtianæ religioni alieni, publicæ pacis emuli, ab omni populo, ciuitate, loco, et terra, dictæ Eccleſiæ mediate uel immediate ſubiecta, eſſẽt perpetuo diffidati: eorũ bona tã mobilia, quã immobilia eſſent ipſo iure Cameræ apoſtolicæ confiſcata. Nulli præterea taliũ, alicuius aperiretur ianua dignitatis, aut honoris eccleſiaſtici, uel mundani, ſeu ad alicuius loci regimẽ eſſet aſcenſus: et ut magis eſſet famoſa eorũ infamia, factio teſtamẽti actiue et paſſiue, eſſet eis interdicta ad actus legitimos nullus eis pateret aditus, nulla porta pãderetur, omni ſpe gratiæ aut diſpẽſationis adẽpta. Et præter prædictas pœnas ſẽtentiã excõicationis et perpetuæ maledictionis incurrerẽt, a qua abſolui nõ poſſent, niſi per Ro. Pontifices, præterquã in mortis articulo cõſtituti. Illi uero q ipſis offenſis, uel offendẽtibus, ſeu brigoſis adherere, fauorẽ, opẽ, auxiliũq; promittere, aut in domibus, uel caſtris, locis, ſeu fortalicijs ſuis receptare, aut qui iuxta uulgare, fare di bene, extũc deinceps præſumerent: tanquã fautores ſcelerũ, et cõſpiratores aduerſus publicã pacẽ, omnino ſimiles rebellionis, cõfiſcationis, depoſitionis, priuationis, inhabilitationis, aut excõicationis, et anathematis pœnas incurrerẽt. Et præterea ut domus et habitationes principaliũ offendentiũ, q uindictã ĩ alios ut præmittitur, ſumere, et exercere aut ẽt q ex utraq; parte, domos ipſas munire, aut cõgregationes occaſione brige aut collectas hominũ adunare, uel armis, aut armatis, ſeu ſteccatis, aut propugnaculis cõmunire auſi forẽt: ĩ deteſtationẽ tãti facinoris, demolirẽtur, et uſq; ad solũ,

ad per=

ad perpetuam infamiam proſternerentur. Per *hoc quoq; ſecu-laribus aut alijs iudicibus ſuis competẽtibus non ademerat fa-cultatem utendi ſtatutis, & legibus, aduerſus tales editis uel edendis.* Ac *ſucceſſiue recolende memoriæ* Sixtus Papa IIII. *ſimiliter prædeceſſor noſter, accepto per eum, quod contenta in literis* Pij *prædeceſſoris huiusmodi a certis* Annis *tunc ela-pſis citra non fuerant obſeruata: & ex illorum non obſeruan-tia subditi præfatæ eccleſiæ procliuiores fuerant ad homicidia committenda; ac fere paſſim quotidie homicidia perpetraban-tur: & homicide præfati ideo ad illa committenda promptio-res exiſtebant, quia ſperabant latere, & ſuorum exceſſuum remiſſionem conſequi facile poſſe: ac deteſtabilem & horren-dam talium Sicariorum nequitiam, ad aliorum cautelam iuris remedijs proſequi ſtudio cupiens indefeſſo: habita ſuper ijs cum fratribus ſuis præfatæ eccleſiæ* Cardinalibus *delibera-tione matura, de illorum conſilio, per ſuas literas decretaq;* Pij *prædeceſſoris huiuſmodi, ac prout illa concernebant: om-nia & ſingula in dictis literis* Pij *prædeceſſoris præfati con-tenta approbauerat, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerat; ac uoluerat, & de eorundem fratrum conſilio ſtatuerat, & ordinauerat, quòd condemnati eatenus & quos in poſterum condemnari contingeret ubilibet, in ciui-tatibus, terris, & locis prædictis pro homicidio, ſiue ut princi-pales, ſiue ut auxilium conſilium uel fauorem præſtantes: ſuarum condemnationum remiſſionem, aut contra illas ſal-uum conductum & licentiam ſecure in loco patrati criminis, uel infra quinquaginta* Milliaria, *ut præfertur propinquo, nullatenus obtinere poſſent ab alio, quam à* Romano Pontifi-*ce, qui pro tempore eſſet: & alicuius alterius, etiam Legati de latere remiſſio, nemini ſuffragaretur.* Et *ſi forſan con-*

Conſtitutio Sixti IIII contra ho-micidas.
Hic continuatur bulla Leonis ideſt eius ſeries.

Eadem pena pu-niuntur præſtan-tes auxilium ho-micidis.

Gratia Papę qualis eſſe debeat, ut ualeat.

tingeret eundem Romanum Pontificem ad remiſſiones, ſiue ſaluum conductum huiuſmodi procedere, talis remiſſio per preoccupationem proceſſiſſe cenſeretur: & nemini prodeſſe poſſet, niſi in illa uerus literarum Sixti predeceſſoris huiuſmodi tenor de uerbo ad uerbum, non autem per clauſulas idē importantes inferius inſertus foret: ac ſpecificata & determinata cauſa exprimeretur, que eundem Romanum Pontificem induceret ad derogandum eiſdem literis ſixti predeceſſoris, quæ cum tam matura deliberatione ab eodem ſixto prædeceſſore emanauerant. Et demum ſanctæ memoriæ Iulius Papa ſecundus etiam prædeceſſor noſter, habita ſuper ijs cum fratribus ſuis, tunc dictæ Eccleſiæ Cardinalibus, deliberatione matura, & de illorum conſilio literas Pij & sexti prędeceſſorum huiuſmodi, & prout illas concernebant, omnia & ſingula in eiſdem literis contenta per quaſdam approbauerat, & innouauerat, ac robur firmitatis perpetue obtinere debere decreuerat: Ac illas ad bannitos, exititios, & rebelles, aut alios pro quocunq; alio crimine capitali, a quibusuis officialibus, tam in dicta Vrbe, quam extra eam, & in terris eidem Romanæ Eccleſiæ mediate uel immediate ſubiectis ius dicētibus, pro tempore condemnatos, ac brigoſos nuncupatos, pacem, iuxta ordinationes dictæ Vrbis apoſtolica auctoritate approbatas, facere recuſantes: necnon ius ſibimet contra alios dicentes: aut caualcatas ſine Romani Pontificis, aut officialium ſuorum ſpeciali licentia facientes, uel mouentes, præfata auctoritate de eorundem fratrum conſilio extenderat. Ac uniuerſis & ſingulis tam laicis, quam eccleſiaſticis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, excellentiæ, & dignitatis: Ducibus quoq;, Comitibus, Baronibus, Domicellis: necnon Communitatibus, Vniuerſitatibus ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, &

Iulius II approbat conſtitutiones Pij & Sixti contra homicidas editas.

Extenſio Iulij ad damnatos in pęnam capitalē ex quouis delicto & alios hic deſcriptos.

Brigoſi, ius ſibi dicentes propria auctoritate etiā comprehēdūtur. ſimiliter caualcatas facientes.

Prohibetur receptatio p̃dictorũ.

aliorum quorumcunq; locorum dictæ Eccleſiæ mediate uel immediate ſubiectorum, diſtricte precipiendo mandauerat & inhibuerat: ne aliquis eorum homicidas, bannitos, exititios, & rebelles, aut pro alio capitali crimine condemnatos, aut brigoſos, pacem facere recuſantes, ſeu ius ſibi contra alium dicentes, aut caualcatas facientes, uel mouentes, in eorum ciuitatibus, caſtris, ſeu locis alijs quibuſcunq; recipere, & retinere: ſeu auxilium, conſilium uel fauorem directe uel indirecte, publice uel occulte, per ſe uel alium preſtare, aut in eorum domibus ſeu Caſtris uel locis recipere, & receptare preſumerent. Et ſi aliquis contra inhibitionem & mandatum huiuſmodi quouis modo, directe uel indirecte, de cetero uenire preſumeret, Idem Iulius predeceſſor omnes & ſingulos ſic contrauenientes, excommunicationis maioris, & Anathematis ſententiam, a qua non niſi ab ipſo Iulio predeceſſore & eiſdem ſucceſſoribus, præterquam in mortis articulo conſtituti, & debita ſatisfactione premiſſa, abſolui poſſent, incurrere, eoſque omnibus & ſingulis priuilegijs, gratijs, libertatibus, indultis, exẽptionibus, ĩmunitatibus, realibus, et perſonalibus, ac Ciuitatibus, Caſtris, Terris, Locis, et Dominijs eorũ, dignitatibus et honoribus, iuribus, et officijs, ac ẽt feudis & cõceſſionibus quibuſcũq;, que a Romã. prædicta, et quibuſcunq; alijs eccleſijs, obtinere noſcebãtur, ſub quacũq; uerborũ forma & tenore ac cũ quibuſuis efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ẽt præſeruatiuis ab incurſu pene priuationis, eo ipſo priuatos et inhabiles ac indignos ad illa, et quelibet alia ĩ poſterũ obtinẽda, et quoſcũq; actus legitimos exercẽdos, fore nũciauerat: Et illa per ipſum Iuliũ predeceſſorẽ et ſucceſſores ſuos abſq; aliqua declaratione, ſuper incurſu pene priuationis hmõi aut citatione eorũ q priuatio nis penã incurrerẽt faciẽda: alijs

Pena receptatũ.
Prima eſt pena excõicationis.
Priuatio priuilegiorum.
Dominiorum.

Digitized by Google

Omnia applicantur Cameræ apoſtolicæ ſine declaratione.

perſonis in feudum ſeu Vicariatum aut alias, ac ſi per lapſum temporis conceſſionis, aut finitam lineam, ad dictam Cameram reuertiſſent, libere concedere, ac alias de illis diſponere poſſe decreuerat, & declarauerat: Necnon ciuitates, terras, caſtra, & loca prædicta Cameræ præfatæ confiſcauerat, incorporauerat, applicauerat, & appropriauerat, ac confiſcata, incorporata,

Ius ſibi dicentes & caualcatas facientes ſunt Ro. Ec. rebelles.

& appropriata eſſe: ſicq; contrauenientes, pro rebellibus eiuſdem eccleſiæ haberi, & cenſeri debere uoluerat: eorum ſubditos & uaſſallos, et Arcium, ciuitatum, terrarum, caſtrorum, & locorum prædictorum caſtellanos, a quocunq; fidelitatis iuramento, quo ipſi eſſent quomodolibet aſtricti, penitus abſoluens; ciuitates quoq;, terras, caſtra, & loca prædicta, ſi ad eiuſdem eccleſiæ obedientiam ſe non reducerent, ſeu in premiſſis quomodolibet delinquerent, & etiam quorumcunque

Pena Ciuitatum & caſtrorum delinquētium ut ſupra.

eis auxilium, conſilium uel fauorem, quouis modo, directe uel indirecte, publice uel occulte præſtantium, etiam quacunque eccleſiaſtica uel mundana, etiam regali præfulgeant dignitate & excellentia, ut præfertur: & ad que eos declinare contingeret, eccleſiaſtico ſubijciens interdicto, tamdiu firmiter obſeruando: donec ibidem forent: etiam per triduum poſt inde diſceſſum: Illos quoq; qui aliquem ſcirent culpabilem in prædictis, & eidem Iulio prædeceſſori uel ſucceſſoribus ſuis intra trium dierum ſpatium non referrent, uel alicui per quē ad eum fideliter referretur, ſimiles penas incurrere uoluerat.

Scientes & non reuelantes Pape eadē pena puniuntur, quod hic incipit, eſt ultra bulla Leonis & Iulii.

Et inſuper per eundem Iulium prædeceſſorem accepto, quod cum nonnulli ciuitatum, terrarum caſtrorum & locorum tam Regni noſtri Siciliæ citra Pharum, quàm aliarum partium dictæ eccleſiæ ſubiectarum, etiam Vrbi prædictæ adiacentium: qui propter homicidia, aliaq; nephanda, per eos petranda, exceſſus, crimina & delicta, & alias eorum demeritis id

regentibus, a Ciuitatibus, Terris, caſtris, & locis eorum ſeu in quibus tunc morabantur, exules, & rebelles, & banniti, quòd in illis propterea ſecure morari nequirent: alij de ciuitatibus, Terris, caſtris, & locis dictæ Eccleſiæ ſubiectis, ad regnum & alias partes adiacentes huiuſmodi: alij autem ex regno, & adiacentibus partibus prædictis ad Ciuitates, Terras, caſtra, & loca eidem Eccleſiæ ſubiecta prædicta, etiam dictæ vrbi adiacentia, ſe transferrent: Nonnulli Barones, Proceres, & domini, ſeu Vicarij in temporalibus ciuitatum, Terrarum, caſtrorum, & locorum, ac regni & partium adiacentium prædictorum, eorumq; officiales, & ſubditi, dictos homicidas Bannitos, criminoſos, atq; rebelles homines ſcienter receptare, & (quod grauius erat) protegere & defendere, non formidebunt, ſe reos tantorum ſcelerum per homicidas, & alios Bannitos prædictos perpetratorum apud deum conſtituentes, & tam ipſis homicidis, & malefactoribus quam alijs ſimilia, & grauia delicta, perpetrandi, & committendi audaciam, & ſcelerum huiuſmodi impunitatem tribuentes, in animarum ſuarum periculum, iuſtitiæ conculcationem, ac dictæ Sedis auctoritatis contemptum, & ſcandalum plurimorum: Idem Iulius prædeceſſor Motu proprio, omnes & ſingulos Barones, Proceres, Milites, ac dominos, & Vicarios, in temporalibus ciuitatum, Terrarum, caſtrorum, & locorum eorundem, necnon noſtros, & eorundem Baronum, procerum, militum, & dominorum vicarios, officiales, & ſubditos, per ſuas literas requiſierat, & monuerat, eiſq; & eorum cuilibet in uirtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis late ſententiæ pœna quam contra facientes eo ipſo incurrerent, diſtrictius inhibuerat, ne homicidas, bannitos, criminoſos, rebelles, alioſq; infames homines præfatos, qui propter eos

rum delicta, banniti, in locis originis ſue, alijs regnorum, ciuitatum, terrarum, caſtrorum, & aliorum locorum prædictorum propter eorum malam uitam, commorari non poterant extunc de cætero, nullatenus receptare, aut eis conſilium auxilium, uel fauorem, quouis queſito colore, preſtare preſumerent. Quinimmo tales ad eorum dominia declinantes ſeu in eis commorantes, capi, & ad forum, ſeu iuſtitias, uel officiales, ad quos punitio & caſtigatio criminum, & exceſſiuum per eos perpetratorum ut prefertur de iure uel conſuetudine pertinebant, & ſpectabant, deſtinare: aut ſi partibus leſis & offenſis utilius foret, illos iuxta criminum, & exceſſuum per eos perpetratorum qualitatem, ad pœnas a iure ſtatutas in locis ubi deprehenſi forent procedere procurarent. Cum ſimilis memorie Leo papa X. etiam predeceſſor noſter accepiſſet, et re ipſa cognouiſſet, quod nequiſſimi ſicarij, eo ad perpetranda homicidia, & mala omnia committenda procliuiores reddebantur, quo in opprobrium iuſtitiæ, & animi ſui indignationem, non ſolum in Ciuitatibus, Terris, Caſtris, & locis ipſius Eccleſiæ ſubiectis, & non ſubiectis, dictæ Vrbis conuicinis, ſed etiam in Vrbe ipſa intra edes, & palatia retinebantur & recipiebantur, aut fauore Ducum, Marchionum, Baronum, Domicellorum, Dominorum temporalium, armorum, Capitaneorum dictorumq; & aliorum Magnatum auxilio confouebantur: Iudicum quoq; & officialium animaduerſio, in eos ſepe & ſepius omiſſa fuerat: Idem Leo predeceſſor Motu ſimili, & ex certa ſcientia, priores literas Iulij predeceſſoris huiuſmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta, per ſuas literas approbauit, & innotauit; Adijcens, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuens, quòd ſi Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarij, Feudatarij, armorũ

Continuatio Leonis X.

Leo X. approbat conſtitutionẽ Iulij II. contra homicidas.

Ampla extenſio Leonis ad conſtitutionem Iulii.

capitanei, ductores, magnates, Principes; Communitates, & Officiales Ciuitatum, Terrarum, & Locorum dicte Eccleſiæ mediate uel immediate ſubiectorum, Homicidas, Bannitos, Exitios, rebelles, aut pro quocunque crimine capitali pena damnatos, necnon Brigoſos pacem facere recuſantes, treugarum ſiue induciarum uiolatores ſeu fractores, ius ſibimet contra alium dicentes, caualcatas, aut armatas, uel ultra numerum decem hominum, coadunatas facientes propria auctoritate, uel mouentes ad eorum Terras, ciuitates, caſtra, loca, Territoria, & Dominia declinantes, non ſolum reciperent, retinerent, uel eis auxilium, conſilium opem & fauorem, tacite uel occulte, directe uel indirecte preſtarent, aut contra mandata & inhibitione in eiuſdem Iulij predeceſſoris literis contentas, deuenirent: ſed etiam ſi eoſdem menus forti non acciperent, apprehenderentq;, & captos ad mandatum Romani Pontificis pro tempore exiſtentis aut ſuorum officialium exiberent, traderentq;: non ſolum omnes & ſingulas ſententias, ac etiam priuationis penas in eiſdem literis expreſſas, uerumetiam leſe maieſtatis & uerum, ac nulla iuris aut hominis fictione, confectum crimen eo ipſo incurrerent: & in eos ſic contra facientes modo & forma, quibus in ueros criminis leſe maieſtatis reos, a iure procedi debere ſtatutum erat, procederetur, & tam ad prædictas, quam huiuſmodi leſe maieſtatis criminis a iure inflictas penas exequutiue deueniretur. Et inſuper omnia & ſingula per Iulium prædeceſſorem ut præfertur, per Leonem prædeceſſorem huiuſmodi innouata, ac de nouo ſtatuta, & illis adiecta, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obſeruari debere decreuit, prout in ſingulis literis prædictis plenius

Treugarum etiã fractores comprehenduntur.

[illegible] nitos incurrunt crimen leſe maieſtatis.

Digitized by Google

Continuatio con ſtitutionis Cle= mentis contra.

us continetur. Cum autem *ſicut facti notorietas atteſtatur, plures,* Vrbis, Ciuitatum, Terrarum, *Caſtrorum, locorum, & tenimentorum, ac* Regni, *& partium prædictorum contra literas prædeceſſorum huiuſmodi, elata ceruice deuenire, & ſe aduerſus iuſtitiæ clypeum, & tutelam rebelles conſtituere præſumant, ac cenſuras & pœnas prædictas in eiſdem literis contẽtas, ſenſu reprobo paruipendere non uereantur, in animarum ſuarum perniciem, diuinæ maieſtatis offenſam, & reipublicæ leſionem:* Nos quorum eſt, *ſceleratorum inſolentijs, quibus aduerſus* Deum *& proximum, ac prædictæ Sedis auctoritatem ueluti catholicæ profeſſionis inimici ſeuiunt, ſalubriter reprimendis, ne ipſorum inualeſcat præſumptio, & peruerſitas extollatur intendere, ſed criminoſorum temeritatem (ultrice iuſtitia) cohibere: ne literæ prædictæ, quæ prouida deliberatione ab ipſis prædeceſſoribus emanarunt, contemptibiles reddantur, ſed exceſſiuum per perpetratores, debita animaduerſione puniantur, opportunis remedijs prouidere uolentes,* Motu proprio, *non ad aliquorum nobis ſuper hoc oblate petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, ſingulas* Pij, Pauli, Sixti, Iulij, *&* Leonis *prædeceſſorum literas huiuſmodi, cum ſtatuti, ordinationis, extenſionis, additionis, inhibitionis, decreti, declarationis, confiſcationis, incorporationis, applicationis, uoluntatis, & mandati, ac omnibus & ſingulis alijs in eis reſpectiue contentis clauſulis, auctoritate* Apoſtolica, *tenore præſentium, approbamus, & innouamus; ac perpetua roboris firmitate ſubſiſtere, & per ſingulos quos literæ ipſe concernunt ſub excommunicationis, coathematis, maledictionis, infamies, ſuſpenſionis, diffidationis, criminis leſe maieſtatis, ſeditionis, rebellionis, confiſcationis*

Clemẽs Pij, Pauli, Sixti, Iulij, & Leonis conſtitutiones contra homicida latas confirmat.

tionis

tionis, depoſitionis, priuationis, inhabilitatis, & interdicti,
ac alijs cenſuris & penis eccleſiaſticis & temporalibus in
eiſdem literis contentis, quas contrauenientes eo ipſo incur=
rant, perpetuo inuiolabiliter obſeruari debere decernimus.
Illaſq; etiam ad hoc ut homicide, Sicarij, exititij, criminoſi,
rebelles, alijsq; infames propter homicidia, aut alia nephan=
da per eos perpetrata, exceſſus, crimina, & delicta, in ci=
uitatibus Terris, Caſtris, uel locis eorum, ſeu in quibus tunc
morabantur Banniti & condemnati, etiam habita pace ab
heredibus filijs ſeu conſanguineis occiſorum, aut partium
leſarum, non ſolum a locis circumuicinis uſque ad quinqua
ginta miliaria, sed etiam ab omnibus & ſingulis Ciuitati=
bus, Terris, Caſtris, & locis etiam Regni, & partium præ
dictorum, nobis & dicte Romanæ Eccleſiæ quomodolibet me
diate uel immediate ſubiectis, Banniti, & exules ſint & eſ
ſe cenſeantur: nec in illis ſeu eorum aliquo, etiam pretex=
tu cuiuſuis licentie ſaluiconductus, remiſſionis, reductionis,
reuocationis, uel alterius gratiæ per eos deſuper quomodoli=
bet per tempore obtente, moram trahere poſſint: & ſi in eis
reſiderint, uel reperti fuerint, capi, detineri, & incarcerari,
ac iuxta criminum, & exceſſuum per eos perpetratorum
qualitatem, & literarum Pij predeceſſoris huiuſmodi teno=
rem ſub penis in eiſdem literis contentis per officiales Ciui=
tatis, Terræ, Caſtri, uel loci in qua, uel in quo deprehenſi fue
rint, debitis penis plecti, ſeu inde educi, & ad forum ſeu
officiales, ad quos criminum & exceſſuum eorundem puni
tio de iure uel conſuetudine pertinet remitti debeant: ex=
tendimus & ampliamus. Et nihilominus premiſſa omnia &
ſingula, prout per Pium, Paulum, sixtum, Iulium &

Extenſio Clemẽtis, & Banniti ꝑ crimine capitali non ſolũ ꝑ quinquaginta Miliaria ſed ab omnibus terris & locis et regni Siciliæ banniti intelligantur.

Google

Leonem predeceſſores præfatos ſtatuta & ordinata inhibita, decreta, & declarata fuerunt: ita ut Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarij, Feudatarij, Capitanei, Magnates, Principes, Communitates, ciues, Officiales, & perſonæ, ac alij ad quos prædictæ, & præſentes literæ concernunt, ac ipſorum ſinguli, literas & in eis contenta huiuſmodi non obſeruantes & illis quomodolibet, directe, uel indirecte contrauenientes, ac eis adherentes, eorumq; fautores & complices, ſingulas cenſuras, & penas predictas, eo ipſo abſque alia declaratione incurrant, & incurriſſe cenſeantur de nouo. Quodq; Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini in temporalibus, Vicarij, & Feudatarij Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, & locorum etiam Regni & partium prædictorum nobis & eidem Eccleſiæ immediate ſubiectorum, aliquos noſtros & dictæ Eccleſiæ hoſtes, & inimicos, aut ſubditos exules, bannitos, & facinoroſos euiuſcunque ſtatus, uel conditionis, fuerint, publice uel occulte, ullo unquàm tempore recipere & acceptare nullatenus preſumant: Et ſi aliquos ad eorum dominia, & territoria confugere contigerit illos ex eorum dominijs uel territorijs huiuſmodi expellere, ſeu ad ſimplicem iuſſionem uel requiſitionem noſtram uel ſucceſſorum noſtrorum quo uoluerimus, ſeu ſucceſſores ipſi uoluerint tute conduci facere: Ac quòd præmiſſa a ſuis ſubditis inuiolabiliter obſeruentur, omni excuſatione ceſſante cum effectu curare, ſub ſimilibus priuationis & rebellionis ac criminis leſe maieſtatis penis, ſi contrafecerint eo ipſo incurrendis. Necnon ut homicide, fautores, & complices præfati facilius capi, & puniri poſſint: quod commu

Pena receptantium bannitos.

Prohibetur bannitorum receptatio ē in Regno,

nitas ciuitatum, & uniuerſitates terrarum, caſtrorum, & locorum, in quibus ſeu quorum territorio, diſtrictu, & ditione, dicta homicidia perpetrabuntur, ſub interdicti eccleſiaſtici, & duorum milium per communitates, ac mille ducatorum per uniuerſitates, necnon ciuitatum terrarum & locorum eorundem domicilij, barones, vicarij, aut alij in temporalibus domini, ſub maioris excommunicationis late ſententie, & quinq; milium ducatorum auri camere apoſtolice irremiſſibiliter applicandorum eo ipſo, abſq; alia declaratione incurrendis penis, eoſdem homicidas, complices, & fautores ſtatim capere, ac omnem exactiſſimam diligentiam, de qua per publica documenta fidem etiam facere teneantur capi facere: Et ſi eos capere nequiuerint, ſtatim commiſſum homicidium uniuerſitatibus, ſeu incolis, & habitatoribus oppidorum, circumuicinorum, ad que declinabunt, aut declinare poterunt notificari, communitates uero & domini in temporalibus prædicti, ad quorum ditionem tales declinabunt, cum primum id ad eorum notitiam deuenerit, eos apprehendere ſeu apprehendi: Quod ſi non potuerint, ſimiliter id uniuerſitatibus ſeu incolis, & habitatoribus uicinorum, oppidorum, et locorum, ad que declinabunt, aut uериſimiliter declinare poterunt inſinuare, et captos ad eorũ Iudices ordinarios traducere et tradere ſub ſimilibus penis teneantur, & debeant, ſtatuimus, ordinamus, inhibemus, & declaramus. Et ne facilitas uenie incentiuum prebeat delinquendi, quibuſuis dicte ſedis Legatis etiam de Latere, ac Nuncijs, & Prouinciarum Rectoribus, necnon noſtris & dictæ Romanæ Eccleſiæ vicarijs in temporalibus pro tempore exiſtentibus, & præfatis communitatibus om

Cõmunitas et alij domini tẽporales ſub penis ĩfraſcriptis tenentur capere homicidas.

Reuocatur facultas abſoluendi homicidas a legatis etiam de latere.

nem ſuper abſolutionibus homicidiorum huiuſmodi per nos et predeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac ſedem eandem ſub quauis forma, & uerborum expreſſione conceſſam, approbatam & innouatam, auctoritatem, & facultatem, reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus. Et ſi quando ſimiles abſolutiones per nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices ac ſedem præfatam concedi contigerit, illas per iudices & officiales, ad quos pertinet, niſi Trine litere apoſtolice, ſub interuallo unius menſis pro ſingulis literis huiuſmodi cum expreſſa derogatione preſentium, deſuper emanauerint, nullatenus admitti uel obſeruari uolumus. Quocirca dilectis filijs Franciſco tit. ſancte Marie in Tranſtyberim presbytero Cardinali, noſtro, et pro tempore exiſtenti camerario, cameræ Apoſtolici Clericis, & Preſidentibus, ac uniuerſis & ſingulis Legatis prouinciarum noſtrarum, & alijs Rectoribus, & Gubernatoribus, ac Officialibus ciuitatum, terrarum, & partium predictarum, nobis & dicte eccleſie mediate uel immediate ſubiectarum, Motu ſimili mandamus: quatenus preſentes literas ſolemniter, in ſingulis prouincijs, ciuitatibus, terris & locis predictis, publicari, necnon omnia & ſingula in eis cōtenta inuiolabiliter obſeruari faciant & mandent: Contrafacientes quoſuis cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, uel pre eminentie ſint ſententias, cenſuras & penas antedictas damnabiliter incurriſſe declarent, et declarationem huiuſmodi per eos faciendam, in libris maleficiorum conſcribi et annotari mandent et faciant. Necnon capitales predictas ſententias a Miniſtris Iuſtitiæ abſq; alicuius iricurſu irregularitatis exequi procurent: Reales autem ir-

remiſſibiliter exigant, Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Necnon pro exactione penarum pecuniarum huiuſmodi contra communitates et uniuerſitates, ac eorundem inobedientium in temporalibus dominorum uaſallos, propter eorum huiuſmodi inobedientiã, repreſalias concedant, nec realiter et cum effectu exeq̃ faciant: Attentius hortantes et requirentes in domino barones et domicellos, ac in temporalibus dominos dicti regni, necnon illius Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, et locorum gubernatores et officiales pro tempore exiſtentes, ut præfatis homicidas fautores et complices capiant, et capi procurent, captoſq; ad preſides noſtrarum prouinciarum, unde ipſi homicide fautores et complices originem traxerint conduci, et eis realiter conſignari ſimiliter cum effectu faciant.

Clauſule derogatorie.

Non obſtantibus conſtitutionibus et ordinationibus apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dicti predeceſſores in prefatis eorum literis uoluerunt non obſtare contrarijs quibuſcunq;. Aut ſi aliquibus communiter uel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, uel excommunicari non poſſint, per literas apoſtolicas non facientes plenam et expreſſam ac de uerbo ad uerbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum approbationis, innouationis, decreti, extenſionis, ampliationis, ſtatuti, ordinationis, inhibitionis, declarationis, reuocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, uoluntatis, mandati, hortationis, et requiſitionis, infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum eius, ſe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nouerit incurſurum. Datum Romæ apud *ſanctum* Pe-*trum* Anno *Incarnationis Dominice Milleſimo Quigenteſimo* Vigeſimo *quarto*. *Pridie* Idus *Iunij*, *Pontificatus noſtri* Anno *primo*.

Io. *Mattheus Gibertus*.

Hen. de *Buſſeyo*.

V*iſa* F. *Branconius*.

Franciſcus Armelinus Medices *miſeratione diuina*, Tit. s. Marie in *Tranſtyberim*, & *ſancte Caliſti presbyter* Cardinalis S. D. N. Pape, & s. R. E. *Camerarius*, *vniuerſis & ſingulis preſentes literas inſpecturis, uiſuris, lecturis, pariter & audituris, Salutem in domino ſempiternam. Noueritis nos nuper uidiſſe, & recepiſſe literas ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini* Clementis *diuina prouidentia* Pape *Septimi, contra homicidas, et quoſcunq; alios capitali pena damnatos, brigoſos, ius ſibi propria auctoritate dicentes, caualcatas facientes, pacis et tregue fractores, corumq; auxiliatores, complices, receptatores, et eos non capientes, ac conſtitutiones* Pij II. *Sixti* IIII. *et* Leonis *Roman. Pontificum ſue Sanctitatis predeceſſorum factas, et eiſdem literis inſertas, innouatas, et approbatas, ſub plumbo more* Romane *Curie in pendenti bullatas, ſanas: ſiquidem et integras omni prorſus uitio et ſuſpi*

tione carentes ſub datum Rome *apud ſanctum Petrum*, Anno *Incarnationis Dominice Milleſimo Quingenteſimo uigeſimoquarto.Pridie Idus Iunij. Pontificatus ſui Anno primo. Quarum tenores preſentibus pro inſertis haberi uolumus. Quibus quidem literis uiſis, et diligenter inſpectis: ut ad omnium notitiam deducantur, de mandato prelibati* S.D.N.*Pape,uiue uocis oraculo ſuper hoc nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatus officij eaſdem literas imprimi, & per nos aut unum ex Reuerendis Camere Apoſtolice Clericis preſidentibus aut ipſius Camere notarijs ſubſcribi fecimus,et preſentibus cum ipſis originalibus literis inſertis plenam et indubiam fidem prout in ipſis literis Apoſtolicis originalibus continetur, adhiberi uolumus, & mandamus.In contrarium facientibus,*Non *obſtantibus quibuſcunq;.* Dat. Rome in Camera Apoſtolica, Die xx. *Auguſti.Milleſimo Quingenteſimo uigeſimoquarto. Pontificatus prelibati Sanctiſſimi* D. N. D. *Clementis Pape ſeptimi Anno primo.*

F. *Armellinus Medices Cardinalis Camerarius.*

Donatus.

220658

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google